

cipiat : « Ego autem in innocentia mea ambulavi, redime » me, et miserere mei: pes meus stetit in rectitudine<sup>1</sup>. » Concussus sum quidem undique scandalis et tentationibus reprehendentium iudicium humana temeritate : sed « Pes » meus stetit in rectitudine. » Quare autem « In rectitu- » dine? » Quia superius dixerat : « Et in Domino sperans » non movebor<sup>2</sup>. »

XIV. Quid ergo concludit? « In Ecclesiis benedicam te, » Domine<sup>3</sup>. » Id est, in Ecclesiis non me benedicam, quasi certus de hominibus, sed te benedicam in operibus meis. Hoc est enim benedicere Deum in Ecclesiis, fratres, sic vivere ut per mores cujusque benedicatur Deus. Nam qui benedicit Dominum lingua, et factis maledicit, non in Ecclesiis benedicit Dominum, lingua prope omnes benedicunt, sed non omnes factis. Quidam voce benedicunt, quidam moribus. In quorum autem moribus non invenitur quod aiunt, faciunt blasphemari Deum, ut illi qui nondum intrans Ecclesiam; quamvis ament peccata sua, et ideo nolint esse Christiani, tamen excusant se per malos, ut blandiantur sibi, seducentes se ipsos, et dicant : Quid mihi persuades ut Christianus sim? Ego fraudem a Christiano passus sum, et nunquam feci : falsum mihi juravit Christianus, et ego nunquam. Et cum ista dicunt, impediuntur a salute : ut nihil eis prosit, non quidem quod jam boni sunt, sed quod mediocriter mali. Quomodo enim nihil prodest aperire oculos, si sit quisque in tenebris : ita nihil prodest esse in luce, si clausi sunt oculi. Ita et paganus quidem, (ut de illis potius loquamur velut bene viventibus,) patentibus oculis est in tenebris; quia non agnoscit lucem suam Dominum : Christianus autem male vivens, in luce quidem est non nisi Dei, sed clausis oculis. Male vivendo enim videre non vult eum, in cujus nomine

<sup>1</sup> Psal. xxv, 11, 12. — <sup>2</sup> Ibid. 1. — <sup>3</sup> Ibid. 22.

tanquam cæcus est in lumine constitutus, nulla visione veri luminis animatus.

## ENARRATIO I

### IN PSALMUM XXVI.

Ipsi David, prius quam liniretur<sup>1</sup>.

I. TYRO Christi loquitur, cum accedit ad fidem<sup>2</sup>. « Do- » minus illuminatio mea et salutaris meus, quem ti- » mebo<sup>3</sup>? » Dominus mihi et notitiam sui et salutem dabit, quis me auferet ei? « Dominus protector vitæ meæ, a quo » trepidabo? » Dominus repellet omnes impetus et insidias hostis mei, a nullo trepidabo.

II. « Dum appropinquant super me nocentes, ut edant » carnes meas<sup>4</sup>. » Dum accedunt ad cognoscendum me nocentes, et insultandum, ut se mihi præferant mutanti me in melius; ut maledico dente non me consumant, sed potius carnalia desideria mea. « Qui tribulant me inimici » mei. » Non solum qui me tribulant amico animo reprehendentes, et a proposito revocare volentes, sed etiam inimici mei. « Ipsi infirmati sunt, et ceciderunt. » Dum ergo id agunt studio defendendi sententiam suam, infirmi facti sunt ad credenda meliora; et verbum salutis, per quod facio quod eis displicet, odisse cœperunt.

III. « Si consistant adversum me castra, non timebit » cor meum<sup>5</sup>. » Adversus me autem si contradicentium conspirans multitudo consistat, non timebit cor meum,

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 1. — <sup>2</sup> Vide D. Guillon, tom. xxi, pag. 411-416. — <sup>3</sup> Psal. xxvi, 1. — <sup>4</sup> Ibid. 2. — <sup>5</sup> Ibid. 3.

ut in eorum partes transfugiam. « Si insurgat in me bellum, in hac ego sperabo. » Si exurgat in me persecutio hujus sæculi, in hac, quam cogito petitionem, figam spem meam.

IV. « Unam petii a Domino, hanc requiram. » Unam enim petitionem petii a Domino, hanc requiram. « Ut in habitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ<sup>1</sup>. » Ut quandiu in hac vita sum, nullæ adversitates me excludant de numero eorum, qui unitatem et veritatem dominicæ fidei per orbem terrarum tenent. « Ut contempler delectationem Domini. » Eo fine scilicet, ut in fide perseveranti appareat mihi species delectabilis, quam facie ad faciem contempler. « Et protegar templum ejus. » Et absorpta morte in victoriam, immortalitate induar, effectus templum ejus.

V. « Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum meorum<sup>2</sup>. » Quoniam abscondit me in dispensatione incarnati Verbi sui in tempore tentationum, quibus mortalis vita mea subjacet. « Protexit me in abscondito tabernaculi sui. » Protexit me, corde credentem ad justitiam<sup>3</sup>.

VI. « In petra exaltavit me<sup>4</sup>. » Et ut manifestum etiam fieret ad salutem, quod credidi, in sua firmitate fecit eminere confessionem meam. « Et nunc ecce exaltavit caput meum super inimicos meos<sup>5</sup>. » Quid mihi servat in fidem, quando et nunc cum corpus mortuum est propter peccatum, sentio ecce mentem meam servire legi Dei, nec duci captivam sub rebellante lege peccati<sup>6</sup>? « Circuivi, » et immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis<sup>7</sup>. « Consideravi orbem credentem in Christum; et in eo quod pro nobis temporaliter, Deus humiliatus est, gaudens lau-

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 4. — <sup>2</sup> Ibid. 5. — <sup>3</sup> Rom. x, 10. — <sup>4</sup> Psal. xxv, 6. — <sup>5</sup> Rom. viii, 10. — <sup>6</sup> Id. vii, 22, etc. — <sup>7</sup> Psal. xxvi, 6.

davi eum: tali enim hostia delectatur. « Cantabo et psallam Domino. » Corde atque opere lætabor in Domino.

VII. « Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te<sup>1</sup>. » Exaudi, Domine, vocem interiorum, quam in aures tuas forti intentione direxi. « Miserere mei, et exaudi me. » Miserere mei, et exaudi me in ea.

VIII. « Tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum<sup>2</sup>. » Non enim hominibus me ostentavi; sed in secreto ubi solus audis, tibi dixit cor meum: Quæsivi non a te aliquid extra te præmium, sed vultum tuum. « Vultum tuum, Domine, requiram. » Huic inquisitioni perseveranter instabo: non enim vile aliquid, sed vultum tuum, Domine, requiram, ut gratis te diligam, quia pretiosius aliquid non invenio.

IX. « Ne avertas vultum tuum a me<sup>3</sup>: » ut inveniam quod quæro. « Ne declines in ira a servo tuo: » ne te quærens, in aliud incurram. Quid enim hac poena gravius amanti et quærenti veritatem vultus tui? « Adjutor meus esto. » Quando hanc inveniam, nisi tu adjuves? « Ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus<sup>4</sup>. » Neque contemnas quod mortalis æternum audet inquirere; tu enim Deus sanas plagam peccati mei.

X. « Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me<sup>5</sup>. » Quoniam regnum sæculi hujus et civitas sæculi hujus, ex quibus temporaliter et mortaliter natus sum, dereliquerunt me quærentem te, et despicientem quæ promittebant, cum id quod quæro dare non possent. « Dominus autem assumpsit me. » Dominus autem, qui potest ipse dare mihi se, assumpsit me.

XI. « Legem mihi constitue, Domine, in via tua<sup>6</sup>. » Ad te igitur tendenti, et tantam professionem perveniendi

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 7. — <sup>2</sup> Ibid. 8. — <sup>3</sup> Ibid. 9. — <sup>4</sup> Ibid. — <sup>5</sup> Ibid. 10. — <sup>6</sup> Ibid. 11.

ad sapientiam a timore inchoanti, legem mihi constitue, Domine, in via tua, ne aberrantem disciplina tua deserat. « Et dirige me in semita recta propter inimicos meos. » Et dirige me in rectitudine angustiarum ejus. Non enim inchoare sufficit, cum inimici, donec perveniatur, non quiescant.

XII. « Ne tradideris me in animas tribulantium me. » Ne sinas tribulantes me satiari de malis meis. « Quoniam » insurrexerunt mihi testes iniqui<sup>1</sup>. » Quoniam insurrexerunt in me falsa de me dicentes, ad amovendum et revocandum me abs te, quasi gloriam ab hominibus quaeram. « Et mentita est iniquitas sibi. » Itaque iniquitas mendaciorum suo delectata est. Nam me non movit, cui ex hoc promissa est merces major in caelis.

XIII. « Credo videre bona Domini in terra viventium<sup>2</sup>. » Et quoniam hæc prior passus est Dominus meus; si ego quoque linguas morientium contemnam: « Os enim quod mentitur, occidit animam<sup>3</sup>: » credo videre bona Domini in terra viventium, ubi nullus est falsitatis locus.

XIV. « Sustine Dominum, viriliter age: et confortetur cor tuum, et sustine Dominum<sup>4</sup>. » Sed quando istud erit? Arduum est mortali, tardum est amanti: sed audi non fallacem vocem dicentis, « Sustine Dominum. » Toleranda ustionem renum viriliter, et ustionem cordis fortiter: non tibi negatum putes, quod nondum accipis. Ne desperatione deficias, vide quia dictum est, « Sustine Dominum. »

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 12. — <sup>2</sup> Ibid. 13. — <sup>3</sup> Sap. 1, 11. — <sup>4</sup> Psal. xxvi, 14.

## ENARRATIO II

IN EUMDEM PSALMUM XXVI<sup>1</sup>.

I. DOMINUS Deus noster alloquens et consolans nos, profecto quos respicit ex justo judicio suo in sudore vultus nostri panem manducare<sup>2</sup>, ex nobis nobis loqui dignatur, ut ostendat quia non solum est conditor noster, sed et habitator. Voces istæ Psalmi, quas audivimus, et ex parte cantavimus, si dicamus quod nostræ sint, verendum est quemadmodum verum dicamus: sunt enim voces magis Spiritus Dei quam nostræ. Rursum si dicamus nostras non esse, profecto mentimur. Non enim est gemitus nisi laborantium: aut omnis ista vox, quæ hi sonuit, plena doloris et lacrymarum, potest esse ejus qui nunquam potest esse miser. Dominus ergo misericors, nos miseri: misericors loqui dignatus miseris, dignatur etiam uti in ipsis voce miserorum. Ita utrumque verum est, et nostram esse vocem, et nostram non esse; et Spiritus Dei esse vocem, et ipsius non esse. Spiritus Dei vox est, quia ista nisi illo inspirante non diceremus: ipsius autem non est, quia ille nec miser est, nec laborat. Istæ autem voces miserorum et laborantium sunt. Rursum nostræ sunt, quia voces sunt indicantes miseriam nostram: item non sunt nostræ, quia ex dono ejus vel gemere meremur.

II. « Psalmus David prius quam liniretur<sup>3</sup>. » Hoc habet titulus Psalmi; « Psalmus David prius quam liniretur, » hoc est, prius quam ungeretur. Unctus est enim ille ut

<sup>1</sup> Sermo ad plebem. Animum roborat adversus persecutores, et veræ felicitatis desiderio inflammat. — <sup>2</sup> Gen. iii, 19. — <sup>3</sup> Psal. xxvi, 1.

rex<sup>1</sup>. Et solus tunc ungebatur rex, et sacerdos: duæ istæ illo tempore unctæ personæ. In duabus personis præfigurabatur futurus unus rex et sacerdos, utroque munere unus Christus, et ideo Christus a chrismate. Non solum autem caput nostrum unctum est, sed et corpus ejus nos ipsi. Rex autem est, quia nos regit et ducit: sacerdos, quia pro nobis interpellat<sup>2</sup>. Et quidem solus ille sacerdos talis extitit, ut ipse esset etiam sacrificium. Sacrificium obtulit Deo non aliud quam se ipsum. Non enim inveniret præter se mundissimam rationalem victimam, tanquam agnus immaculatus fuso sanguine suo redimens nos, incorporans nos sibi, faciens nos membra sua, ut in illo et nos Christus essemus. Ideo ad omnes Christianos pertinet unctio: prioribus autem Veteris Testamenti temporibus ad duas solas personas pertinebat. Inde autem apparet Christi corpus nos esse, quia omnes unguimur: et omnes in illo et Christi et Christus sumus, quia quodam modo totus Christus caput et corpus est. Unctio ista perficiet nos spiritualiter in illa vita, quæ nobis promittitur. Est autem hæc vox desiderantis illam vitam; et vox quædam desiderantis gratiam Dei, quæ in nobis in fine perficietur: ideo dictum est, « Prius quam liniretur. » Ungimur enim modo in sacramento, et sacramento ipso præfiguratur quiddam quod futuri sumus. Et illud nescio quid futurum ineffabile desiderare debemus, et in sacramento gemere, ut in ea re gaudeamus, quæ sacramento præmonstratur.

III. Ecce quid dicit: « Dominus illuminatio mea, et » salutaris meus, quem timebo<sup>3</sup>? » Ille me illuminat, recedant tenebræ; ille me salvat, recedat infirmitas: ambulans in lumine firmus, quem timebo? Non enim talem salutem dat Deus, quæ ab aliquo possit extorqueri; aut tale lumen est, quod ab aliquo possit obtenebrari. Dominus il-

<sup>1</sup> Reg. xvi, 13. — <sup>2</sup> Rom. viii, 34. — <sup>3</sup> Psal. xxvi, 2.

luminans, nos illuminati; Dominus salvans, nos salvati: si ergo ille illuminans, nos illuminati, et ille salvans, nos salvati, præter ipsum nos tenebræ et infirmitas. Habentes autem in ipso spem certam et fixam et veram, quem timebimus? Dominus illuminatio tua, Dominus salutaris tuus. Inveni potentiosem, et time. Ad potentissimum omnium, ad omnipotentem sic pertineo, ut et illuminet me, et salvet me; nec timeo aliquem præter ipsum. « Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? »

IV. « Dum appropinquant super me nocentes, ut edant » carnes meas: qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt<sup>1</sup>. » Itaque ergo quid timebo, aut quem timebo? Ego quem trepidabo, aut quid trepidabo? Qui me persequuntur, ipsi infirmantur, ipsi cadunt. Quare autem persequuntur? « Ut edant carnes meas. » Quæ sunt carnes meæ? Carnales affectus mei. Sæviant persequendo, nihil in me moritur nisi mortale. Erit in me aliquid, quo persecutor pervenire non possit, ubi habitat Deus meus. Manducant carnes meas: finitis carnibus spiritus ero, et spiritalis. Et quidem tantam salutem mihi promittit Dominus meus, ut etiam modo ista caro mortalis, quæ videtur permitti manibus persequentium, non pereat in æternum; sed quod demonstratum est in capite meo resurgente, hoc omnia membra sperent. Quem timeat anima mea, quam inhabitat Deus? Quem timeat caro mea, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem? Vultis nosse quia carnes illi manducant, qui nos persequuntur, nec ipsi autem carni nostræ metuendum est? « Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale<sup>2</sup>. » Quanta autem fiducia debet esse in eo, qui novit dicere: « Dominus illuminatio mea, et salutaris meus, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? »

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 4. — <sup>2</sup> I Cor. xv, 44.

Protegitur imperator scutatis, et non timet; protegitur a mortalibus mortalis, et securus est: protegitur mortalis ab immortalibus, et timebit, et trepidabit?

V. Quanta autem fiducia debeat esse in eo, qui ista dicit, audite: « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum<sup>1</sup>. » Castra munita sunt, sed quid munitus Deo? « Si exurgat in me bellum. » Quid mihi facit bellum? Potest mihi auferre spem meam? Potest mihi auferre quod dat Omnipotens? Sicut non vincitur qui dat, sic non aufertur quod dat. Si auferri potest datum, vincitur dator. Ergo nec ipsa quæ temporaliter accipimus, auferre nobis quisquam potest, fratres mei, nisi solus ille qui dedit. Spiritualia quæ donat, non auferet, nisi tu dimiseris: carnalia vero et temporalia ipse aufert, quia et quisquis alius aufert, ipso donante potestatem, aufert. Novimus hoc, et legimus in libro Job, quia nec ille qui videtur quasi maximam habere potestatem ad tempus diabolus<sup>2</sup>, potest aliquid nisi permissus. Accepit potestatem in infima, et amisit maxima et summa. Et non est ista potestas irati, sed poena damnati. Nec ipse ergo potest habere aliquam potestatem, nisi permissus. Et in illo libro habes quem commemoravi, et in Evangelio Dominus dicit: « Hac nocte postulavit Satan, ut vos cribraret sicut » triticum, et ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides » tua<sup>3</sup>. » Permittitur autem aut ad poenam nostram, aut ad probationem. Ergo quia nobis nemo potest auferre quod dat Deus, non timeamus nisi Deum. Quidquid aliud fremuerit, quidquid aliud superbierit adversus nos, non timeat cor nostrum.

VI. « Si exurgat in me bellum, in hac ego sperabo. » In qua? « Unam, inquit, petii a Domino<sup>4</sup>. » Fœminino genere appellavit quoddam beneficium, tanquam diceret,

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 3. — <sup>2</sup> Job. 1. — <sup>3</sup> Luc. xxi, 31. — <sup>4</sup> Psal. xxvi, 4.

Unam petitionem. Et quomodo solemus loquentes dicere, verbi gratia, Duas habes; non dicimus, Duo: hoc more loquendi usa est Scriptura: « Unam, inquit, petii a Domino, hanc requiram. » Videamus quid petit qui nihil timet. Magna securitas cordis. Vultis nihil timere? Hanc unam petite, quam unam petit qui nihil timet, aut quam petit ut nihil timeat? « Unam, inquit, petii a Domino, » hanc requiram. » Hoc hic agitur ab eis, qui bene ambulant. Quid est hoc? quæ est illa una? « Ut inhabitem » in domo Domini omnes dies vitæ meæ<sup>1</sup>. » Hæc est una; domus enim ea dicitur ubi semper manebimus. In ista peregrinatione dicitur domus, sed proprie tabernaculum appellatur. Tabernaculum peregrinantium, et quodam modo militantium, et adversus hostem pugnantium est. Quando ergo tabernaculum est in hac vita, manifestum est quia est et hostis. Nam simul habere tabernacula, hoc est esse contubernales: et nostis hoc nomen esse militantium. Ergo hic tabernaculum, ibi domus. Sed et hoc tabernaculum interdum per abusionem vicinitatis dicitur domus, et domus aliquando secundum eundem modum dicitur tabernaculum: proprie tamen illa domus, hoc tabernaculum.

VII. Quid autem acturi simus in illa domo, habes evidenter expressisse alium Psalmum: « Beati qui habitant in » domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te<sup>2</sup>. » Hac iste, si dicendum est, cupiditate ardens, et amore isto æstuans, desiderat omnes dies vitæ suæ in domo Domini habitare: in domo Domini omnes dies vitæ suæ, non quasi finiendos, sed æternos. Sic enim dicuntur dies, quomodo anni, de quibus dictum est: « Et anni tui non deficiant<sup>3</sup>. » Nam dies vitæ æternæ unus dies est sine occasu. Hoc ergo dixit ad Dominum: « Concupivi hanc,

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 4. — <sup>2</sup> Id. lxxxiii, 5. — <sup>3</sup> Id. ci, 28.

» Unam petii, Hanc requiram. » Et quasi diceremus ei : Et quid ibi facturus es? quæ ibi delectatio tua? quod avocamentum cordis? quæ illæ deliciæ, unde gaudia suppetent? Non enim ibi perdurabis, nisi felix eris. Felicitas autem illa unde succedet? Habemus enim hic felicitates diversas generis humani, et miser quisque dicitur quando illi subtrahitur quod amat. Amant ergo homines diversas res; et quando quisque quod amat habere videtur, felix vocatur. Vere autem felix est, non si id habeat quod amat; sed si id amet quod amandum est. Multi enim miseri magis habendo quod amant, quam carendo. Amando enim res noxias miseri, habendo sunt miseriores. Et propitius Deus, cum male amamus, negat quod amamus: iratus autem dat amanti quod male amat. Habes evidenter dicentem Apostolum: « Tradidit illos Deus in » concupiscentiam cordis eorum! » Dedit ergo quod amabant, sed damnando. Habes rursus negantem peti- tum: « Propter quod ter Dominum rogavi, inquit, aut » auferret eum a me, (stimulum videlicet carnis,) et dixit » mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate » perficitur<sup>2</sup>. » Ecce illos dedit in concupiscentiam cordis eorum: Paulo apostolo negavit quod oravit: illis dedit ad damnationem, huic negavit ad sanitatem. Cum autem id amamus quod vult Deus ut amemus, procul dubio daturus est nobis. Hæc est illa una, quæ debet amari, ut habitemus in domo Domini per omnes dies vitæ nostræ.

VIII. Et quia in istis terrenis habitationibus, diversis deliciis et voluptatibus homines oblectantur, et unusquisque in ea vult domo habitare, ubi non habeat quod offendat animum, et habeat multa quæ delectent; si autem subtrahantur ea quæ delectabant, vult homo undecumque migrare: interrogemus quasi curiosius, et dicat iste,

<sup>1</sup> Rom. 1, 24. — <sup>2</sup> 2 Cor. xii, 8, 9.

quid nos ipsi, quid acturus est in illa domo, ubi cupit et optat, et desiderat hoc unum petit a Domino, habitare in ea omnes dies vitæ suæ. Quid ibi agis, quæso te? quid est quod desideras? Audi quid, « Ut contempler delectationem Domini<sup>1</sup>. » Ecce quod amo, ecce quare volo habitare in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Habet ibi magnum spectaculum, delectationem ipsius Domini contemplari. Vult finita nocte sua hæerere in luce ipsius. Tunc enim erit mane nostrum nocte transacta: unde alio loco Psalmus dicit: « Mane astabo tibi, et contem- » bor<sup>2</sup>. » Modo ideo non contemplor, quia cecidi: tunc astabo, et contemplor. Hæc vox humana est. Cecidit enim homo, et non mitteretur qui erigeret, nisi cecidisset. Nos cecidimus, ille descendit. Ille descendit, nos levamur: « Quia nemo ascendit, nisi qui descendit<sup>3</sup>. » Qui ruit, levatur; qui descendit, ascendit. Et non ideo desperemus, quia ille solus ascendit. Levat enim nos, ad quos cadentes descendit: et stabimus, et contemplabimur, et magna delectatione perfruemur. Ecce dixi hoc, et exclamastis desiderio cujusdam speciei nondum visæ. Excedat cor vestrum omnia usitata, et excedat intentio universas cogitationes vestras solemnes ex carne, eductas a sensibus carnis, et imaginantes nescio quæ phantasmata. Totum ab animo rejicite, quidquid occurrerit negate: cognoscite infirmitatem cordis vestri, et quia vel occurrit quod cogitare possētis, dicite: Non est illud: non enim si illud esset, mihi jam occurrisset. Ita desiderabitis quoddam bonum. Quale bonum? Omnis boni bonum, unde omne bonum, bonum cui non additur quid sit ipsum bonum. Dicitur enim bonus homo, et bonus ager, et bona domus, et bonum animal, et bona arbor, et bonum corpus, et bona anima: adjunxisti, quoties dixisti: Bo-

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 4. — <sup>2</sup> Id. v, 5. — <sup>3</sup> Joan. iii, 13.

num. Est bonum simplex, ipsum bonum quo cuncta sunt bona, ipsum bonum ex quo cuncta sunt bona : ipsa est delectatio Domini, hanc contemplabimur. Jam videte, fratres, si nos delectant bona ista quæ appellantur bona, si nos delectant bona quæ non sunt per se bona; omnia enim mutabilia non sunt per se bona : qualis erit contemplatio incommutabilis boni, æterni, semper eodem modo manentis? Quandoquidem ista quæ dicuntur bona, nullo pacto nos delectarent, nisi essent bona; nec alio pacto essent bona, nisi ab illo essent qui simpliciter bonus est.

IX. Ecce quare habitare volo, inquit, in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Dixi vobis quare : « Ut contempler delectationem Domini. » Ut autem semper contempler, et nulla molestia me contingat contemplantem, nulla suggestio aversat, nulla auferat alicujus potentia, nullum inimicum patiar in contemplando, et perfruar deliciis securus, ipso Domino Deo meo, quid fiet mihi? Proteget me. Non solum ergo contemplari volo delectationem Domini, ait, sed etiam « Protegi templum ejus<sup>1</sup>. » Ut templum suum me protegat, ero templum ejus, et protegar ab eo. Numquid tale est templum Dei, qualia templa sunt simulacrorum. Simulacra gentium templis suis proteguntur : Dominus Deus noster templum suum proteget, et securus ero. Contemplabor ad delectationem, et protegar ad salutem. Quam erit illa contemplatio perfecta, tam ista perfecta protectio; et quam illud perfectum gaudium contemplandi, tam perfecta etiam incorruptio sanitatis. Ad ista duo verba quæ dixit, « Contempler delectationem Domini, et protegar templum ejus, » pertinent illa duo, unde Psalmus cœpit : « Dominus illuminatio mea, et salutaris meus, quem timebo? Quia contemplabor delec-

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 4.

» tationem Domini, illuminatio mea est : quia proget me » templum suum, salutaris meus est. »

X. Quare autem nobis hoc præstat in finem? « Quoniam » abscondit me in tabernaculo suo in die malorum meorum<sup>1</sup>. » Erit ergo mihi in domo habitatio per omnes dies vitæ meæ, ad hoc ut contempler delectationem Domini, et protegar templum ejus. Ut autem illuc perveniam, unde mihi promitto? « Quoniam abscondit me in » tabernaculo suo in die malorum meorum. » Tunc non erunt dies malorum meorum, sed vidit me in diebus malorum meorum: Qui ergo me longe positum misericorditer respexit, secum positum quomodo beabit? Propterea ergo non impudenter unam illam petivi : nec mihi dixit cor meum : Quid petis, aut, A quo petis? Audes enim a Deo aliquid petere, peccator inique? audes sperare aliquam contemplationem Dei te habiturum, infirme, immundo corde? Audeo, inquit, non de me, sed de ipsius delectatione; non de mea præsumptione, sed de illius pignore. Qui tantum pignus dedit peregrinanti, deseret pervenientem? « Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die » malorum meorum. » Ecce dies malorum nostrorum, vita ista est. Dies malorum aliter habent impii, aliter fideles. Nam etiam credentes, sed adhuc peregrinantes a Domino, « Quamdiu enim sumus in hoc corpore, peregrinamus a Domino<sup>2</sup> : » hoc Apostolus dixit, si dies malorum non agunt, unde vox dominicæ Orationis; « Libera nos a » malo<sup>3</sup>, » si non sumus in diebus malorum? Sed longe discretius dies malorum agunt qui adhuc non crediderunt : nec ipsos ille despexit. Etenim Christus pro impiis mortuus est<sup>4</sup>. Audeat ergo præsumere anima humana, et unam illam petere; segura habebit, segura possidebit. Tantum dilecta est foeda, pulchra quomodo fulgebit!

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 5. — <sup>2</sup> 2 Cor. v, 6. — <sup>3</sup> Matth. vi, 13. — <sup>4</sup> Rom. v, 6. —